

NUMINE MAXIMO FAVENTE.
DISPUTATIO PHYSICA;

de

SPECIEBUS MUNDI,

Quam

Ex suffragio Amplissimi Senatus
Philosophici, in Regia ad Auram
Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Max. Reverend. atq; Amplissimi

Dn. GABRIELIS
JUSLENII,

Log. & Met. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU MAGISTERII:


*Publico eruditorum examini modeste
submitit*

Regius Stipendiarius

NICOLAUS FLOJERUS Smoland.

In Audit. Max. add. 7. Feb B. cum D. A. 1712.

Excudit AND: Biörckman/ Univ. Typ.



JEHOMA INCEPTIS MEIS ADSPIRA.

Mundus Græcis κόσμοι abornatu, elegantia & pulcritudine sic dictus, universum rerum creatarum ordinem comprehendit, unde etiam οὐρανός, οὐρανος vocatur, liber magnus & visibilis est, in quo divina sapientia, potentia & bonitas repræsentatur; respe&tū igitur habito ad partes quibus constat, formam & pulcritudinem mundo tribuimus, quæ consistit in partium delectabili varietate, ordinataq' dispositio, absolute plenitudine & indissolubili connexione & constantia, quæ vel ex eo elucet, quod cuncta ejus loca corporibus sint oppleta. Est igitur coagmentatio omnium rerum & specierum à Deo creatarum, nam quidam

quid nobilitatis, quidquid oblecta-
 menti, quidquid utilitatis, in natura
 existit, e speciebus, veluti amoenissi-
 mo oritur fonte. Cum jam Divina
 sic disponente gratia tenore Regiarum
 constitutionum Academicarum, Am-
 plissimæque facultatis Philosophicæ
 consensu, studiorum ratio mihi impe-
 raverit, ut præmissis examinibus, spe-
 cimen aliquod meorum in literis pro-
 fectuum, candidæ bonorum Centuræ
 submitterem: de speciebus mundi in
 genere mihi parvam conscribere dis-
 sertationem animus est, si vero in ea
 aliqua minus cocta & polita irrepse-
 rint, ea omnia & lectoris Benevoli
 Candor, & nostri temporis mitior au-
 ra, ætasqne provectione B cum D: ali-
 quando emendabunt; brevitate autem
 uti cum fata jubeant duriora, statim
 ipsam materiæ tractationem, utinam
 feliciter aggredior, idque omni omis-
 sa verborum pompa, contentus, ut po-
 te verbis quam simplicissimis animi
 tens-

ſenſa exprimere, & eoruſ ſatisfacere vo-
luntati, qui bene mihi cupientes au-
tores exiſtere benigni, ut ad eum
gradum me accingerem, cujuſ gratia,
mihi neceſſum fuerit præſentem mo-
vere diſcurſum. Si ergo hic reperies
vitioſi quid, mihi redde, ſi quid profi-
cui, te rogo, redde Deo.

§ I.

Ne illotis ut ajunt manibus, in
iplam rei traſtationem irruamus, neve
temeritatis, aut negleſtæ viæ tritæ ar-
guamur, iplam thematis propositi ra-
tionem nominis paucis tetigiffe juva-
bit. Nam in rem quidem inquiren-
dum, nec nominis poſhabenda ratio,
quod primum dicente Philosopho, eſt
bene intelligendi principium, cui con-
ſonat illud Scaligeri: oportet prius vo-
cis ipſius uſum cognoscere, à quo non
raro in rerum provehimur perceptio-
nem. Debet autem vox ſpeciei nata-
les ſuos, quod neminem, cui cum lite-
ris arctior conſuetudo fuit, latere po-

test, verbo specio quod hodie quidem
 in desuetudinē abivit, in suis tamen ob-
 vium est compositis, inde derivato no-
 mine, quod objecta quasi coram in-
 spicienda sistat, & quidquid in oculos
 sese ingerit & aspectui pater; hoc vo-
 cabulum etiam *πολύσημον*, sumitur vel
 pro pulcritudine formæque elegan-
 tia, vel pro forma externa corporis, sic
 Luc. 9. v. 29. de Christo legitur, quod
 factum sit *τὸς ἐιδός τὴν προσώπην αὐτῆς ἔτερον*,
 vel etiam pro idea platonica: vel pro
 specie prædicabili in logicis, in physi-
 cis denique significat *εἰγόνα* alicujus
 rei quæ vel sensu percipitur vel mea-
 te, & appellatur *εἰδος νοήσης*. Respe-
 ctim etiam habet ad omnia corpora
 naturalia in toto hoc universo A Deo
 Ter Opt. Max: creata; inveniuntur &
 plura hujus vocis significata, quibus
 omnibus prætermisssis, reliquisque re-
 censitis interea sepositis, ultimum &
 geninnum heic loci acceptamus. Vo-
 catur alias effigies, imago & conce-

ptus formalis, & quæ sunt alia vocis synonyma, quorum quædam sunt latiora, quædam strictiora, alterum vocabulum Dissertationi huic nostræ tituli loco præfixum, utpote in se planum consulto mittimus.

§ II.

Species mundi sunt corpora naturalia, à Deo in prima creatione formata, ut mundum integrarent & creatorum celebrarent. Corroborationem hujus definitionis nobis Philosophi suppeditant, qui in scientia rerum generali tradenda, omnium primo docent ens, quod ab ipsis deinde divisum est in substantiam & accidentem, substantiam vicissim in materiale & immateriale; corpus vero in simplex & mixtum, hoc in inanimatum & animatum, quod deinde in vegetabile & sensitivum quod animal vocant, & rationale est & irrationale. Unde clarum est, corpus naturale loco generis, in hac definitione stare posse. Differentia spe-

specifica sumitur ab earum officio, quod ad integrationem mundi præcipue spectat, & à causa efficiente, nec non a fine.

§ III.

Proposita jam definitione ipsas causas examinabimus. ποιῆσιν καὶ παγέρα, inquit Plato, τὸ δὲ γῆς παντὸς εὔρεῖν τε ἔργον, καὶ εὐρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Sed de neutro Platonis assensum concedimus, nam & facile esse putamus parentem corporum creatorum invenire, & æquissimum in vulgus indicare; res ideo creatas primam suam originem Deo debere certissimum est. Videatur Gen: cap: i. conferatur Joh: i. Pſ: 33. verbo Jehovæ facti sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum &c. hanc fac: scripturæ veritatem revelatam quoque percipit ratio, omne ens est independens vel dependens, res creatæ igitur cum entia sint ad alterutrum horum referendæ erint, entia in dependentia non sunt,

quia multis modis compositæ sunt, at omne compositum pendet cum à principiis internis componentibus, tum à causa externa constitente: principia interna componentia, exempli gratia materia & forma, actus & potentia à se ipso esse nequeunt, quia nec materia sine forma, aut forma sine materiâ, nec actus incompletus sine potentia, nec potentia sine actu, unquam est, vel per naturam esse potest, quod vero per naturam non potest esse, nisi cum alio compositum & ab alterius nexu dependens, qui quæsto esse à se ipso possit; demonstratur hoc ex resolutione, quidquid enim compositum, id & resolubile est per id à quo compositum est; quidquid vero corruptibile est, dependens est: concludimus ergo res creatas esse entia dependentia, ab independente id est Deo, solus enim Deus ut & simplicissimus, & maxime unus, sic unus etiam independens est, & prima multitudinis unitas

tas, necessario igitur sequitur eundem omnium esse effectorem.

§ IV.

Facta jam mentione de causa efficiente omnium specierum, materia earum investiganda est, de qua acriter disputatur in scholis Theologorum & Philosophorum, nam si historiam creationis consulamus, de singularum materia eodem modo non loquitur, in nonnullorum corporum enim creatione, nullius prorsus materiae mentionem facit, in aliorum vero productione materiam haud obscure nominat, ut de homine palam est. Nos vero cum sanioribus Theologis & Philosophis statuimus simplicium corporum, cœli nempe & elementorum materiam, ex qua primitus creata fuerint nullam fuisse; constituta vero jam habent materiam simplicem. Referri huic solent sequentia scripturæ loca, Rom: 4 v.17. De iis

di-

dicitur, vocare τὰ μὴ ὄντα ως ὄντα Heb.
 11. v. 3 πίστιν νοῦμεν κατηρίθαι τὸς ἀπόντων
 φύματι θεῶν, εἰς τὸ μὴ ἐκ Φανομένων τὸ βλε-
 πόμενα γεγονέναι; vel: ut fierent, quæ
 videntur, ex iis quæ non apparent:
 hoc est ex nihilo. Elementa vero sunt
 corporum ē simplicibus composito-
 rum materia. Expressa Mosis verba
 Gen. 2 ver. 19. de productione bestia-
 rum agri ē terra; volucrum & plan-
 tarum, Gen. 1. ver. 11. evincunt hæc;
 de piscibus & aliis natantibus idem o-
 stendit ver. 20. si Deus corpus homi-
 nis, animantium omnium præstantissi-
 mi, ex materia elementari produxit,
 cur non & aliarum animantium, ex e-
 adeā videtur produxisse; cum enim
 individua omnium animantium per
 corruptionem in elementarem redi-
 gantur materiam, ex eadem producta
 afferimus: adeo ut non de homine
 tantum loquatur, sed & ad alia accom-
 modari animantia queat, illud: pulvis
 es, & in pulverem reverteris. Quod

verum esse de compositionis & constitutionis materia putatur. huic nostræ sententiæ ratio favere videtur , quæ etiam aliquam agnoscit creationem.

§ V.

Tradita materia , specierum formæ contemplandæ veniunt. quarum perplurimæ nobis sunt occultæ, ideoq; eas fere mittimus : nam non prætentis instituti est , de ipsis multum trade-re , hoc enim valde foret operosum. Omissis igitur variorum de ipsis opinionibus, sententiam Doctoris Jacobi Martinii toremus, dicentis, tota & integra formæ natura in tribus consistit: Ut informet materiam: compositum constituat: illudque ab omnibus aliis speciebus distingvat, tandemque ut sit causa actionum in composito. Tuto vero hoc nobis est approbandum, ipsas formas, ut & materiam in prima mundi origine , cum rebus ipsis creatas esse, ut ex iis res omnes naturales constarent, rerum enim creatarum var.

varietas, originem trahit à varietate formarum substantialium: sunt enim formæ alterum rerum naturalium principium, per quod hoc sunt, quod sunt, & hoc agunt, quod agere iussæ sunt. per formas non solum res naturales, pro sua natura, ut ipsis à creatore præceptum est, agunt, sed & per easdem reguntur, conservantur, & propagantur: jussit enim Deus ut res naturales, quæcumque secundum suam speciem, non solum per formas existent, sed etiam per eas sepe propagarent. hactenus de formis.

§ VI.

Finis rerum existentium, quoniam est? eum esse Dei gloriam, ex contemplatione specierum agnoscendam & prædicandam, veluti ultimum & summum, statuimus. Sub ordinatum vero, hominis usum esse, cui omnes res interviunt, putamus. Pulcre de hac re Trismegistus in libro περὶ ἐυστοιχίας τῆς Φιλοσοφίας docet; πρῶτον δὲ Θεός.

θέλερον ὁ κόσμος. Τίτον ὁ ἄνθρωπος. ὁ κό-
 σμος Διὸς Θεος. Condita esse res cre-
 atas propter hominem, hinc proba-
 tur rationibus: 1. ex summo hominis
 fine: homo enim primario est propter
 Dei gloriam agnoscendam & prædi-
 candam, ergo reliquæ omnes species
 propter hominem. Antecedens ex-
 tra dubium est: cum enim inter mun-
 dana corpora, solus homo rationis sit
 particeps, solus etiam primariò Dei
 gloriam agnoscere & prædicare pot-
 est: alia, rationis expertia non nisi
 materiam divinæ gloriæ prædicandæ
 subministrant. Ratio consequentiæ
 est, quia uti modo indigitabimus, u-
 niversi hujus membra omnia reliqua,
 sunt quasi gradus, quibus ad Dei a-
 gnitionem & prædicationem ascendit
 homo. Ut igitur scalarum gradus
 propter eum sunt, qui per eos in al-
 tum nititur; sic & universi mundi,
 tanquam ingentis scalæ, gradus, hoc
 est, partes integrales, sunt propter
 homi-

hominem; qui hisce adminiculis ad Creatorem ascendit: unde pater quam egregie finis hic sub ordinatus ad summum dirigatur. 2. Ex rerum creatarū serie: postremus enim omnium creaturarum homo fuit, querr. in amplissimum hoc mundi theatrum, numeris suis absolutum, tanquam omnium rerum legitimū possessorē, Deus introduxit, adeoque in gratiam ejus, omnes mundi species productas, haud obscure significavit.

§ VII.

Species vero καὶ τὸ δύνατον, quantum ex causis suis oriuntur, consideravimus: restant jam præcipuae earum affectiones videndæ, & controversiæ, quæ de iis agitantur, discutiendæ, primum ergo perfectio earum consideranda est. Perfectionem hanc vidimus, primum in ipsis rerum generibus: constat enim mundus, substantiis & accidentibus; & habet substancias corporeas, & corporis expertes,

cor.

corrūptibiles & incorruptibiles, simplices & mixtas, animatas & inanimatas, ratione præditas & ratione carentes; in specie quidem alias in terra gressiles & reptiles, alias in ære volatiles, alias in aquis natatiles; unde eleganter Ovidius:

Neu regio foret ulla suis anima-
libus orba.

Cesserunt nitidis habitandæ pi-
cibus undæ:

Terra feras cepit; volucres agi-
tabilis äer.

sub singulis vero hisce generibus tan-
ta est ruris, Specierum varietas &
fœcunditas, ut nullus fere enarrare
queat; accidentia substantiis corporeis
competentia, si consideremus, magna
in eis deprehenditur varietas; nam
corporum alia videas gravia, alia le-
via, alia frigida, alia sicca, alia colo-
rata, alia odora, alia humida,
alia sapida, alia coloris saporis odo-
ris expertia. Affectiones vero spe-
ciales

ciales nobis considerantibus, varia & mira in perfectionis gradibus occurrit varietas. siquidem una speciei natura omnes perfectionis gradus non capit : per plurimas eas Creator distribuit, & ita naturæ perfectio ad summos gradus ab infimis ascendit. Infimum inter corpora naturalia gradum sibi vindicant elementa, metallis elementis præstantiora sunt, metallis plantæ, plantis animantia, animantibus brutis animantia rationalia. Sic eadem graduum varietas in generum horum speciebus observatur. Exempli gratia, in plantis & arboribus, sunt aliæ ex iis sylvestres, aliæ aquatiles, aliæ sublimes, aliæ humiles, aliæ florigeræ, aliæ sine floribus, aliæ fertiles, aliæ steriles, &c. eadem ratio erit de metallis, lapidibus & aliis &c. Nec dissimilis sibi natura in animantibus est, quorum alia sunt abjectissima, in quibus tamen est quod vel maxime mireris, ut insecta: alia vero per.

perfectiora, vivaciora, formosiora, robustiora, &c. hanc generum specierum, affectionum & graduum virtutem contemplatus trismegistus, quandam quasi harmoniam inter res creatas dixit existere. Ideo vidimus res creatas ad summam ascendere perfectionem; comprobaturetiam Scaligeri sententia dicentis, nulla species egens est earum partium, quæ sunt alterius speciei; omne enim quod est, sibi est, & bonum, totum & perfectum. Volvat jam quis naturam & revolvat, nihil unquam imperfectum inveniet. Quod ergo in una datur specie, & in alia non occurrit, id imperfectionem non arguit.

§ VIII.

Originem specierum aptius ad creationem, quam ad generationem referendam putamus, ut in superioribus demonstratum est: in prima enim mundi constitutione ortæ, perfecto jam & completo illo opere, Creator die septimo quievit.

§ IX.

De generatione qui querit, ei statim spiritus Dei responderet dicendo; crecite & multiplicamini: cuius beneficiorum rationis vi non evanescit species, quae in vivis individuis conservatur per generationem; cervus cervum, antler anserem betula betulam, homo hominem procreat; creatura enim semper sui similem in natura producit.

§ X.

Sic cum omnia animantia extra aquas degentia, per universale diluvium delecturus esset Deus, in arcam Noachi ingredi jussit, singularum specierum individua, quae naturali procreatione, species universas & singulas post diluvium conservarunt. Si deesset aliqua, daretur in formis vacuum quod longe maius esset vitium, quam vacuus in quantitate sine corpore. Omnia animantia quoque, naturali imperio teruntur, ad speciem propagandam; sollicita enim est natura, de conservatione sui.

§ XI.

Nulla de novo oritur species: possunt tamen, in contrariam adduci sententiam multæ rationes; stellæ observantur inusitatæ, à Mathematicis peritioribus, ut cometæ, stella Mагorum: Hominum curiositas modos invenit, novas producendi arbores, infitio enim arborum, quasi congressus est, ubi trunco pruni surculum pomi, aut aliarum arborum, inserunt. Nos vero novas stellas cometas & alias infitiones, ad partes mundum integrantes, non annumerandas esse arbitramur mundus enim, his non existentibus, completus fuit.

§ XII.

Numerus specierum, omnibus videtur esse innumerus, non in se, sed ratione ad nos. Joh: Iper: synop: Phy: in Cœlo quot quæso moventur stellæ? in äere quot volitant aves? in aquis quot natant pisces? in terris quot ambulant & repunt animantes? in mon.

montibus & Vallibus, quot virent, flor-
rentque herbæ & arbores, nosse nu-
merum, homini datum non est. Et
operum, Domini paucissima novimus,
plurima, eaque majora ad huc sunt ab-
scondita.

§ VIII.

Possent quidem multa adhuc, de
prolixa hac materia in medium pro-
ferri, cum vero temporis ratio, &
rerum mearum conditio imperave-
rint, maxima qua fieri potuit festina-
tione, in chartam conjicere, ea, quæ
super hac Materia jam prolata sunt;
his contentus, tuam præprimis, eru-
dite, ac benevole Lector, sollicite im-
ploro æquanimitatem, ut quæ in his
minus adcurate apposita, & quæ ad-
huc essent adponenda, mihi quidem
imputes; ita tamen, ut temporis, quo
hoc meum opusculum prodit, ar-
ctissimi, benigne recorderis.

Deo optimo Maximo sit laus, honor, &
gloria, in secula nunquam terminanda.

Viro Juveni,
Literis moribusque conspicuo,
CANDIDATO PHILOSOPHIAE
Clarissimo Sympat. & amico integerrimo,
Dn. NICOLAO FLOJERO,

de

SPECIEBUS MUNDI
egregiè differenti

EN Species Mundi, quas vix exhibet
opella,

Continet in se hoc nescio cuius opus.

Hoc opus est Elojere tuum, quem fama per
auras

Evehet, & nomen mox tibi grande dabit,
Cui meritis condigna Tuis, condigna labore
Dona parat Nymphae, non moritura, Dea,
Quæq; tuis pridem debentur præmia curis,
Hoc præcium tantæ sedulitatis habes.

Festinabundus ast gratulabun-
dus complodit & accinit

JONAS BRUZELIUS.

Viro Juveni,
Literis & moribus conspicuo,
PHILOSOPHIÆ CANDIDATO
Meritissimo, amico Dilectissimo,
Dn. NICOLAO FLOJERO,
De SPECIEBUS MUNDI,
egregie disputanti,

ÆMula nature, miracula barbara
Memphis
Pyramidum sileant, Rhodus atque superba
Colossum;
Infima nam species longe est formosior illis,
Mira magis summi quæ finxit dextra creatis;
Singula fulgescunt spatiose semina molis.
Docta Minerva parat lustrare solumque
polumque,
Et simul atq[ue] semel species complectitur omnes.
Sympatriota, mibi Tu primis junctus ab annis,
Ingenium par esse tuum sublimibus ausis
Declaras solide: doctas adamare Camanas
Namq[ue] soles: igitur referunt Tibi præmia,
laudes

In mutuæ amicitiæ tessera
hæc festinanti calamo adjecit.

LAURENT: SIGF. ODELIN.

